

DISTPUTATIO INAUGURALIS MEDICA &

(DE /

CERAUNIA

vulgò

von der Sonner. Mrci

RAREBOOK

UT ET DE

FULMINE TACTIS;

Quam

PC

966

.V35

1650

DIVINA ASSISTENTE GRATIA.

EX

DECRETO GRATIOSISS.FACULT.MEDICÆ,

IN ALMA LUDOVICIANA,

ANNO SECULARI

seu

IVbILæo orthoLogorVM seCVnDo;

62185

PRO LICENTIA

IMPETRANDI JURA DOCTORATUS,

MAGNIFICO ET EXCELLENTISSIMO

DNN. PROCERUM ACADEMICO-
RUM ORDINI

Ad diem

H. L. Q. F.

ventilandam sifit

Nov 21 1933

CHRISTOPH. BERNHARDUS VALENTINUS

GISSENSIS.

GISSÆ HASSORUM,

Typis VIDUÆ & HÆREDUM VULPIANORUM, Acad. Typogr.

gissi

1650

1650

National Oceanic and Atmospheric Administration

Rare Books from 1600-1800

ERRATA NOTICE


One or more conditions of the original document may affect the quality of the image, such as:

Discolored pages
Faded or light ink
Binding intrudes into the text

This has been a co-operative project between the NOAA Central Library, the Climate Database Modernization Program, National Climate Data Center (NCDC) and the NOAA 200th Celebration. To view the original document, please contact the NOAA Central Library in Silver Spring, MD at (301) 713-2607 x124 or at Library.Reference@noaa.gov

HOV Services
Imaging Contractor
12200 Kiln Court
Beltsville, MD 20704-1387
April 14, 2008

Blank page retained for pagination



PRÆFATIO.

Reboat universus terrarum Orbis Majestatem Creatoris & fulminantia de super tonitrua Domini sui gloriam ebucinant. Rectissime enim *Seneca* quest. *natur. l. 2. c. 31. p. 682:* mira, inquit, tonitru & fulminis, si intueri velis, opera sunt, nec quicquam dubii, quin divina illis insit & subtilis potentia: nihil quod ita mentes ab omni cultu divino alienas ad tremendi Numinis inducit cognitionem. Hinc non absurdè *Petronius*:

*Primus in Orbe Deos fecit timor: ardua caelo
Fulmina cum caderent, discussaque mœnia flammis
Atque ictus flagraret Athos.*

Illo enim artificio Mundum instruere, quo caderent
A 2 inter-

interdùm noxæ & detrimenta in homines, quos fulminibus terrere & prodigiorum tempestatumque metu in officio continere necesse habebat, Divinæ rationi fortassis consentaneum judicat *Richardus Mead*, Anglus, in fine *Tr. de imperio Solis & Luna in corpora humana*, cum *Musgravii Tr. de Arthritide anomala* editi. Ipse sanè Spiritus Sanctus in utroque SS. testamento supremum & tremendum illud Numen sub fulminum & tonitruum fragore fulgurisque splendore se manifestasse adstruit. Ita enim Decalogum in monte Sinai publicabat *Exod. 19. §. 16*. Ita furibundo & in exitium Christicolarum adhuc frenenti Saulo capistrum injiciebat *Actor. 9. §. 3*. Quapropter & Pagani vetustissimi Cyclopes fulmina atque alia terroris instrumenta Jovi cudentes Terroris Ministros somniabant, vid. *Franc. Baco de Verulamio Tr. de Veterum Sapientia §. 3. p. 1252*. Quin imò sunt, qui & nostris temporibus, ex causis magis naturalibus, accidentia fulgura, fulmina & tonitrua, annis & temporibus notabilioribus grassantia, prodigi quid foyere autumant. Quando enim seculo præcedente XVI. post receptionem Formulae Concordiae fulmen templum cathédrale VVittenbergense, ut & Cœnobium B. Lutherum quondam alens, feruisse legitur, id ipsum vel ideo non sine omniaccedisse

cidisse scribit Dn. *Godesfredus Arnoldus*, in der unpar-
thenischen Kirchen- und Reker-Historie Part. II. p. 214.
quod & sub primo festo seculari, formulæ hujus in-
tuitu in eodem Cœnobio celebrato, *Adamus Stei-
nius*, puer adhuc, inter medias solennitates ex-
animis conciderit, Lectorem interim in dubio re-
linquens, an id fausto an infâusto sydere & omine
contigerit. Num & tempestas illa extraordinaria ac
horrenda, quæ anno Jubilæo 1617. observante Dn.
Johó Ludolfo in der Schaubühne der Welt-Geschichten
des 17ten Seculi Tom. I. pag. 650. magnam inferioris
Germaniæ partem inundârat, ominosa fuerit, hâc
vice non addo; sufficiat me illorum occasione an-
sam cepisse, quo SECUNDO, quod universus Ec-
clesiarum Evangelicarum cœtus per Dei gratiam,
contra fallacissimum adversantium prognosticon (*)

13

repe-

(*) Ferebat hoc sub primo festo seculari Evangelicorum (à Grammondo
Histor. Gall. Lib. 2. p. 157 pro ridiculo ludicro, quod ut simiæ Papam
imitando instituerint, non sine labore habito) nonnemo è Papicolis,
qui in nummi secularis, à Norimbergensibus tunc cusi, inscri-
ptione:

MartinVs LVtherVs theoLogIæ D.

lit. C. omissam esse cernens, intra centum annos Ecclesiæ Lutheranorum
perituras, nec easdem ullum amplius festum secularare, quod jubilæum
vocant, celebraturas esse vaticinabatur, vid. *Dn. Arnoldus in der*
Kirchen- und Reker-Historie Tom. I. p. 496.

repetendo celebrat, FESTO SECULARI admirando fulminis effectus & ~~quædam~~, CERAUNIÆ maximam ad partem adscripta, non tantum ob oculos ponerem, sed & è causis genuinis atque veris ducerem, insimulque noxas & incommoda, quæ in corpora viventium, cum primis autem hominum, inde redundare assolent, sive præservando, sive curando antevertere sustinerem. Faxit alma

Trias ut omnia succedant
feliciter!



DISPU-

DISPUTATIONIS MEDICÆ
DE
**CERAUNIA ET FULMINE
TACTIS.**

SECTIO I.

DE

PHÆNOMENIS ET EFFECTI- BUS FULMINIS.



 quandoquidem Ceraunia (ād tū nēauē.
h. e. fulmine, ita dicta) putetur esse lapis cum ful-
mine ex aëre displosus, hinc ad historiam ejus
Physico-Medicam felicius expedientiam effectus
& phænomena, fulmen sive antecedentia, sive
concomitantia, sive consequentia, prius con-
sideranda erunt, quām certi quid de natura & essentia ejus de-
terminetur. Tam admiranda autem sunt, ut plures dentur,
qui spiritum malignum suas illic partes agere credunt, teste *Dn.*
de la Grange in *Principiis Philosophiae contra novos Philoso-*
phos

phos Tom. 2. cap. 14. pag. 207. Paucis illa comprehendit *Seneca*, „quando Lib. I. Quæst. Nat. cap. XXXI. p. m. 684: Loculis, inquit, „integris ac illælis conflatur argentum. Manente vagina gladius li- „quescit. Stat fracto dolio vinum, nec ultra triduum rigor ille du- „rat. Illud æque inter annotanda ponas licet, quod & hominum & „cæterorum animantium, quæ icta sunt, caput spectat ad exitium „fulminis: quod omnium percussarum arborum contra fulmina „hastulas surgunt. Quid quod malorum serpentium & aliorum ani- „malium, quibus mortifera vis inest, cum fulmine icta sunt, ve- „nenum omne consumatur? Unde, inquis, scis? in venenatis cor- „poribus vermis non nascitur: fulmine icta intra paucos dies ver- minant. Quum vero quædam inter hæc incerta & dubia sint, quæ- „dam etiam deficiant, hinc certa ab incertis separatur, eaque quæ de- siderare quis posset, ordine quodam habito, superaddituri sumus.

§. II.

Primo igitur notari meretur fulmen antecedere fulgur & toni-
tru, sive cominus sive eminus tumultuans aut murmurans: quæ
omnia iis cum primis noctibus gräßantur, quas dies calidissimus &
fervens admodum præcesserat; & quamvis aliquando tempore ver-
nali, imò citius quandoque, fulgur atque tonitru observetur, bono-
que omni habeatur, si arboribus nondum virescientibus tonitru au-
diatur, (vegn es über einen durren. Vquin donnert) ut hoc
ipso anno accidit, raro tamen eo tempore fulminis ictus observatus
fuit. Accedit (2.) frequentiora esse fulmina in locis calidioribus, cum-
primis illis, ubi montes dantur ignivomi, cum in septentrionalibus ē
contrario, teste Olaus, inter rariissima. Eleganter Plinius lib. 2. c. 50. crebra
fulmina, inquit, in Italia: quia mobilior aër mitiore hyeme & æstate
nimbosā semper quodammodo vernal & autumnat. Schottus au-
tem lib. XI. cap. 15. §. 4. p. 1226. Phys. curios. se expertum testatur,
quod, dum Menis & Calataerone in Siciliæ urbibus, in Aetna ignivo-
yomi montis conspectu, habitatset, nullibitam frequentia, horribilia
& periculosa notasset fulmina, quam in prædictis urbibus. Idem
proflus

prorsus apud *Senecam quæst. nat. lib. 2. cap. 30.* legatur, qui hunc in modum scribit: *Ætna aliquando multo igne abundavit & ingen-tem vim arenæ urentis effudit. Involutus est dies pulvere, populos-que subita nox terruit. Illo tempore ajunt plurima fuisse tonitrua & fulmina &c.* Quin & illa loca quæ fodinas sulphuris & bituminis habent, fulminibus potissimum obnoxia sunt; quapropter in Cam-pania sœpe & hyeme fulminat, & Lovanium, Insubria & Mutina, ubi Zibius mons naphtham exstilla, crebra experiuntur fulmina, teste *Reinzero in Meteorologia Philosophico-Politica pag. 39.* (3.) Bene monet *Fromondus in Meteorolog. l. 2. art. 6. p. 66.* omnibus fulguri-tis odorem quandam sulphureum inesse, ut è *Seneca, Plinio & ipsa experientia ostendit.* Hinc novi Amicum qui tempestates instantes olfactu dignoscere & præfigire valet; unde quoque canes & anima-lia voracia à cadaveribus fulmine tactis abstinere dicuntur. Quid quod particulæ sulphureæ post fulmen aut in forma pulveris in cam-po & pratis, aut sub forma resinæ, aut picis inventæ sunt. Exem-plum hujus rei anno 1715. in novellis publicis seqq. referebatur verbis:

Plauen den 8. Aug.

Um verwichenen 29. Jul. hat uns der Höchste mit einem schwe-ren Donnerwetter heimgesucht. Das Knallen ist früh um 8. Uhr angegangen / und ohne aufzuhören bis in die Mittags-Stunde gedauert/ da es/und zwar bei hellem Sonnen-schein/an dem hin-ter Theil des Rath-hauses den Knopff abgeschlagen/ dann von dar sich der Strahl getheilet / und durch das Uhr-Werck in die Raths-Stube geschlagen/ daselbst 3. Personen hart gerühret/ als Herrn D. Wiedemann / der am linken Arm/ doch ohne Verle-bung des Hauptes beschädiget / ein ziemlich Stück seines Degens/ mit samt dem Ohrband daran/ ist geschnolzen. Ferner Herrn Syndicu[m] Steinläufern / Herrn Stadt-Vogt Gutebrücken / Herrn Leuchten / Apothekern/ und den jungen Herrn Göring. Ingleichen die Weinschenken Weidlichin/mit des Bierschroders

seine Frau / elendiglich zugerichtet / so daß sie alle mehr tott als lebendig nach Haus theils geführet / theils getragen worden. Diese letztere Frau ist so hart gerühret worden / daß sie von aller Vernunft und Sinne gewesen / weder gehen / sitzen / noch liegen kan; an ihrem Nacken und innern Theil des Kopffs hat man in ihren Haaren NB. eine schwefeliche Materie gefunden / die nichts als Pech und Harz gewesen / wovon die Haar ganz verfehet worden. Der Handgriff am Drat / woran in der Raths-Stube man zu klingen pfleget / war mitten entzwey geschlagen / und wann die Raths-Stube nicht wäre eröffnet worden / hätten alle von dem allzuheftigen Danipff ersticken können. E quibus simul reliqua phænomena quodammodo eluescunt, quod scil. (4.) illæsa vagina gladium fundat: cujus rei exemplum sat antiquum de „*M. Antonio Mureto* refert *Fromondus c.l.* qui fulmen, inquit, in pa- „latium Hypoliti Card. Ferrarensis desidens, ad mea usque cubicu- „la pervenit: ibi gladii, qui ad lectum unius è famulis meis pendebat, „mucronem ita colliquefecit, ut in globulum converterit, vagina „sua illæsa quemadmodum similiter laminam elasticam in horologio portatili liquat, reliquis particulis illæsis: cujus rei exemplum habet *Dn. de la Grange*, Pater Oratorii Parisiensis, *Tr. de Elem. & Meteoris cap. 14. p. 208.* Eadem ratione (5.) loculis integris & inviolatis argentum & nummos conflat, id quod *Plutarchus lib. 4. Synops. quaer. 2.* suo tempore militi, Romæ excubias agenti, accidisse testatur, & suo damno expertus est Comes quidam Illustriss. in vicinia, cui cum aliquot abhinc annis è fodiinis suis magna Joachimicorum recens cuforum quântitas adferebatur, à fulmine, Tabellionem feriente, prorsus colliquefacti fuerunt. Nec absimili ratione vasis illæsis in liquida agit, ita ut (6.) dolio aliisque experimentis intactis vinum corrumpat, aut prorsus exhauriat, ut non tantum *Plinius lib. 2.c. 51,* sed & *Carus apud Lucret. lib. 6.* testatur, quando ita canit:

*Curat item ut vasis integris vina repente
Diffugiant: quia nimireum facile omnia circum
Conlaxat rarefacitque lateramina vas.*

An vero (quod *Seneca* verbis *supra* citatis addit & *Fromondus* cum pluribus nimis credulis admittit) dolia confringat, vino stante & quasi cortice obducto non diffluente, de eō non sine causa dubitat *Auctor Philosoph. veteris & novæ*, dum *Phys. Part. II. c. 10. p. 459.* inquit: vix autem crediderim fracto dolio vinum aliquando ictu,, fulminis incrustari, aut etiam interdum conglaciari, cuius rei ve-,, ritas nulla hactenus historia constat. *Tartarus enim vini, quem Kippingtonius in Instit. Phys. method. pag. 194.* pro formando cortice alle-
gat, hic minus est sufficiens, cum & is à fulmine diffletur aut com-
minuatur. Illud potius (7.) in novellis *supra* adductis confirmatur,
quod excelsa quævis & alta à fulmine facilius feriantur, quam humi-
lia; unde sine dubio proverbium exortum: Procul à Jove, pro-
cul à fulmine.

Scil. Celsa graviore casu

*Decidunt turres feriuntque summos
Fulmina montes.* Horat.

Nimum tamen extravagatur *Claudianus* ita canens:

*Incubuit nunquam caelestis flamma salitis
Nec parvi frutices iram metuere Tonantis
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.*

Fulmen enim cæcum est, summos quoisque ac infimos seriens. In sub-
jectam terram grassatur & in superna elevatur: non affectu abripitur,
nec cæstro corripitur: partiale non est; unde idem pro symbolo com-
mendat *Judicibus Reinzerus*, in ante laudata *Meteorologia Philosophico-Politica* pag. 47. Quicquid igitur obvium sibi habet, urendo,
discutiendo, terebrando, aliisque modis quatit, vulgo in tere-
brans, discutiens & urens distinctum. Fabulosa igitur vel ad mi-
nimum cum grano salis sumenda sunt omnia, quæ de certis cor-
poribus à fulmine immunibus hactenus in scholis tradita fuerunt,
inter quæ, v. g. *corallia*, *hyacinthum*, *sedum minus*, *ficum*, *quer-
cum*, *laurum*, *vitulum marinum*, *aquilam &c.* potissimum enu-
merant.

merant. Lauro sane tantum hac in parte tribuisse fertur Tiberius Cæsar, ut fulmina metuens cœlo turbatiore coronam lauream capite gestasse dicatur à *Suetonio in ejus vita*. Ast laurum suo tempore de cœlo fulmine tactam fuisse in contrarium refert *Vicomercatus in Comment. ad cap. X. l. 3. Meteororum Arist.* Ne tamen omnem fidem antiquitati deroget *Reinzerus*, laurum particulis suis aromaticis pestiferas & contagiosas exhalationes fulmineas corrigeret & abigere putat. Unde fortasse, *Columella auctore*, gallinae incubanti lauri ramulos olim subjecerunt, ne ova inficiant. Quercum similiter fulminis iictu sæpiissime tangi & disjici vel rusticis non ignotum est. Singulare exemplum ejus refert *Hildanus lib. de combust. c. 16.* dum superiori, inquit, anno 1604, cùm ligna pro usu culinæ advehenda curassem, occurrit ingens quercus, quæ ante annos aliquot à fulmine icta fuerat: quod quidem ex fissura, quæ in exteriori parte corticis à summitate ad radicem usque conspiciebatur, manifestum erat: Extrinsicus pulchra: Fisso truncō medulla carica. Forte error inde ortus, quod quercus arbor Jovis dicatur, uti aquila armiger Jovis, conf. *Dn. Schminckii Diss. de Arboris Jovis cultu religioso, in primis in Hassia*. Quod autem vitulus marinus & aquila à fulmine immunia putata fuerint, *Conimbricenses* inde existimant obortum fuisse, quod animalia hæc odore, quo gaudent tenerrimo, adeoque ex instinctu naturæ præfagiunt fulmina seque per tempus id in abditissima tutissima loca recipiunt, quò se à fulmine defendant. An feles, canes & capræ è contrario fulminis iictibus, ob halitus quos exspirant, magis sint obnoxii, certioribus observationibus relinquimus. Quod enim canes cœlo tonante sub hominum pedes se recondendo asylum querant, ob metum & terrorēm à tonitruum boatu subortum contingit. Unde & tormentorum bellicorum majorum explosione hinc inde discutunt, ut nuper adhuc Giessæ observatum fuit. Illud vero (8.) notam meretur singularem, quod fulmen non semper integras arbores excutiat, aut omnes illarum ramos disjiciat, sed haud raro in muris & arboribus rimas

rimas agat tenuissimas lineasque ductu serpentino variisque gyris implicito ducat tenerrimas, ita, ut vix artificiosissima pictorum manus subtiliores effingi possint, vid. *Miscell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. II. A. IV. Obs. XLVIII. p. 117.* Quod item (9.) V accendat, testibus iisdem *Miscell. Dec. I. A. VIII. p. 6.* sicut aurum fulminans sine igne accensum legitur ibidem *Dec. 2. A. X. p. 242.*

§. III.

Peculiarem hic considerationem meretur fulminis effectus in corpora viventia, cum primis autem humana, ut eò facilius illis obviam ire & medelam afferre possimus. Subsistunt autem illi vel in circumferentia & partibus corporis externis, quando (10.) vel capilli, vel cuticula & cutis aduruntur, vid. *Hildanus lib. de combust. c. XVI.* vel (11.) artus resoluti sensu & motu subito privantur, cuius rei singularis exstat observatio in *Miscell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. II. Ann. IV. Obs. XLVIII. p. 116.* Sæpe (12.) ossa lœdit incolumi cute, teste *G. Wyssio in Phys. p. 246.* Vel (13.) Dyspnœa corripiuntur, ut in iisdem *Miscell. Dec. 2. A. II. Obs. LXXV. p. 389.* *Anglica* vero acta p. 446. fœminam à tonitru in cholera mœsi habent. Vel (14.) subito, ut humili bos, in terram prosternuntur, juxta illud *Ovidii:*

*Non aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus
Vivit & est vita necius ipse sue.*

Vel (15.) lœsos ad insaniam redigit, exemplo bubulci in montanis Taurinorum apud *Jul. Scalig. Exerc. 13.* Imò (16.) statim vita privantur, etiam nullo extrinsecus apparente percussione signo, vid. *Misc. Germ. Curios. Dec. 2. A. VIII. Obs. CCXIII. p. 531.* *Conf. Eutropium lib. 4. Hist. Rom. Petr. Crinitum lib. II. de honest. disciplina c. 1. Joh. Langium comment. ad libr. de mundo p. 70.* Curiosissimum hic casum recenset *Cardanus lib. de veritate rerum c. 43.* sequentibus verbis: In Lemno messores octo sub quercu fulmine percussi, exanimabantur omnes, servata eadem specie, eadem oris figura, & eodem corporis habitu, quem gerebant viventes. Alius pocu-

„lum ori admotum, alius cultrum, panem scissurus, alius manus in „patinas extensas tenebat; denique nemo erat, qui non simile quid „faciendo cœnantis speciem præ se ferret. An (17.) embryones in utero contentos salva matre aut comminuat, aut interficiat, ut exemplum de Marcia habet *Plinius* & aliud de muliere Moguntina *Joh. Langius?* de eo dubitat *Dn. le Grand in Hist. natur. Tit. de Meteor. p. 291.* neque necessarium putat hic ad fulminis potentiam recurrere, quum ex timore & terrore mulieres illæ abortum sint passæ. An & carnes ac ossa fulmine tactorum in cineres & ventos abire, sicutque subito disparere possint, ut de quodam, qui in via qua Lipsia Torgam itur ita subito ex hominum oculis eruptus fuerit, narrat *Wolfgangus Meurerus in Meteorolog.* crebrioribus observationibus indigere videtur: quamvis idem de Romulo, Romæ Conditore, *Livius*, & de Publicano Gerardimontensi in Flandria *Petrus Castellanus* asserere non dubitarint. Unde *Henricus Culeus in Irenis suis* ita canit:

*Pulvereum humana vidi sub mole cadaver,
In tanto nusquam corpore corpus erat.*

*Omnia pulvis erant, cervix, caput, ilia, nervi,
Ossaque cum pleno ventre, saburra, nates.*

*Pulvis erant crurum tenus omnia: quæ velut ictu
Indeclinato cæsa fuisse putas.*

Cæterum dormientes æquè ac vigilantes ictui fulminis obnoxii sunt: quamvis, *Plutarcho l.c. observante*, priores non tam facile ac posteriores tangantur: partim quod fulmen obliquò & transversali ictu facilius erectos in pedes ferit: partim quia dormientes non tam facile terrore profunduntur, quo plures exanimantur. Quare pastores, ut fulminis terrorem pecori excutiant, gregem sparsam colligunt, & immisso cane compellunt in unum, cum societas levet metum, *Fromondus c.l. p. 67.* An cadavera fulmine demortuorum semper & ubiq; versus ictum se convertant, quod nonnulli adstruunt, adeo

adeò simpliciter afflere non ausim. Prorsus autem fabulosum est, eadem cadavera ad longum temporis intervallum esse ἀνηπλα & incorruptibilia, ut præter *Plutarchum l.c. Casp. à Rejcs Camp. Elys. Quest. XXXIV. n. 20. p. 410.* adstruit, cum præter experientiam ex antiquioribus *Seneca, loco ab initio citato,* è modernis verò *Garmannus in Miscell. S. R. I. Ac. N. C. Dec. 2. A. X. Obs. 186. p. 363.* contrarium demonstrent, & fulgoriti paucis à fato elapsis horis aut diebus computruerint. Quæ de liberatione brutorum & insectorum à veneno scribunt auctores, falsæ innituntur hypothesi de veneno brutis formaliter inhærente, contra quod tam *Franciscus Redi,* quām *Celeb. Ettmüllerus Disp. de morsu viper.* ex professo, quod dicitur, dimicant.

§. IV.

Restant phænomena circa remissionem aut dissipacionem fulminis observanda, quod (18.) illico cessat, quando nubibus resolutis imber aut pluvia subsequitur, juxta plebeiorum proverbium:

*So bald das Wetter regnet /
Ist es so gleich gesegnet.*

Conf. *Ecclesiasticus cap. XL. §. 13.* ubi simile quid occurrit. An (19.) Campanarum pulsatio & tormentorum explosio eò quid contribuere possit? diversæ sunt auctorum sententiae. Evidem in quamplurimis antiquissimorum templorum campanarum inscriptionibus hanc virtutem præ se ferunt. Sic *Zreyse*, haud procul à fortalito *Ziegenhain*, campanæ cuidam hæc insculpta sunt:

*Do veniam menti: Do laudem Cunctipotenti
Defunctos plango: Viva voce fulgura frango.*

Similiter in Hassiâ superiori *Gladenbaci* sequentia in campana leguntur verba:

*Dum turbor, procul cedant, ignis, grando, tonitru, fulgur,
Fames, pestis, gladius, Satan & homo malignus.*

Interim

Interim aliquid superstitionis latere & subesse videtur, quum certum sit campanis baptizatis olim virtutem hanc adscriptam fuisse, qualis in viciniâ, *Butisbaci sc. adhuc ostenditur, hac cum inscriptione:*

*Sit aura pia dum rogat ista Maria,
Et sua vox bam, bam, potens repellere Satan,
Tonitruum rumpo, mortuum defleo, sacrilegium voco.*

Vid. *Winckelmannus in Chron. Hass. p. 186.* Baptizabantur autem campanæ Dominica Quasimodogeniti, albis integrumentis induitæ, uti ceremonias illas describit *Paulus Vergerius. Unde Sperlingius in Instit. Phys. p. 931.* & cum eo *Kippingius* istud fabulis adscriberet non dubitarunt, cum & ventilatores s. pulsatores campanarum, teste *Jul. Scalig. Exerc. 13. sect. 1.* fulmine fuerint feriti. Ast his non obstantibus major auctorum pars non sine ratione credit, vehementes campanarum, vel bombardarum, aut tormentorum sonitus fulminis vim infringere, cum per alpes aut alias excelsos montes itinera facientes vix loqui aut tussire audeant, ne vocis sono aër commotus Leænas niveas (à *Stumpfio in Chron. Helv.* ob oculos positas) decutiat, vid. *Cartes. Meteororum cap. VII. p. m. 209.* & *Epitomator eius Dn. le Grand, Instit. Philos. Part. 6. Cap. 23. p. 504.* Tandem (20.) ignem fulmineum nulla aqua extingui posse constans est plebeiorum opinio, qui fulmen non nisi lacte vel (quod præstare dicitur) aceto deleri posse garriunt. Ast falsam esse sententiam hanc, *G. Fabricius Hildanus lib. s. cit. p. 934.* testatur, dum circa finem contrarium seq. historia demonstrat: Anno 1592. Hildenæ in patria turrim templi, altam satis & lapidibus tectam, fulminis ictu adeo incensam vidi, ut ex una parte flagrare cœperit, trabesque nonnullæ ingentes ab ictu illo fissæ fuerint: quod tandem incendium aqua restinctum fuerat. Hinc sæpe laudatus *Fromondus l. c. lib. 2. art. 6.* temporeamento quodam adhibito ignem hunc quandoque aqua inextinguibilem esse dicit, additis exemplis quibusdam. Sic *Dion. lib. 78.* sub

sub Imp. Macrino tactum de cœlo, ipso Vulcanalium die, theatrum narrat, nec aqua fluviatili, nec cœlesti profusissima incendium potuisse comprimi. Tale quoque fulmen cum pluvia cœlo evocatum à Legione Melitensi Christiana (quæ propterea fulminatrix dicebatur) M. Aurelio Imp. in Quados (qui nunc Bohemi putantur) pugnante & exercitu toto extrema siti laborante. Vapore enim fulminis premebantur Quadi, nec ullum in v cœlesti remedium erat: alebat enim potius flamas, levabatque tantum Romanorum sitim.



SECTIO II.

DE

NULLITATE LAPIDIS FULMINARIS ET GENUINA PRÆCEDENTIUM AETIOLOGIA,

§. I.

Ad genuinam phænomenorum horum causam eruendam postulo mihi dari

I.

Penetrationem corporum s. dimensionum esse impossibilem.

Hoc in Physicis jamdudum inter demonstrata habetur. Unumquodvis enim corpus sua propria extensione ac dimensione gaudet, quæ alius quantitatem non admittit. Si enim cubo unius pedis similem miscere velis, non tam corpus unius pedis, quam potius bipedale emanabit.

C

Dari

II.

Dari effuvia , corporum unde proficiscuntur naturam & qualitates retinentia.

Hæc enim ipsa experientia, per omnia naturæ regna, cuivis ob ocu-
los ponit. Docent hoc signa metallorum naturalia , gramen ari-
dum, nivium & pruinæ defectus, quæ nonnisi à metallorum efflu-
viis oriuntur. Quin & ḡ halitus eadem ratione insectis & lumbricis
adversantur, ut ipse Mercurius. In regno vegetabili miram efflu-
viorum vim ostendit alicubi *Digbeus*, Angliæ Cancellarius, qui odo-
rem rorismarini, in proximis montibus copiosissime crescentis, è
quodam Hispaniæ littore, ad trecenta milliaria , per mare pluribus
diebus se persensisse testatur, antequam navis , qua vehebatur, ad
littus appelleret. Non minus patet ventos semper redolere corpo-
ra, quæ prætervehuntur, ita ut, ubi rosarum copia, totus circum-
circa aër repleatur rosarum odore : vitiferi vero colles totam vici-
niam odore gratissimo perfundant. Quantam autem vim ha-
beant effuvia è viventibus, tam sanis quam ægrotis emanantia, vel in
vulgus notum est. Ægrorum enim effuvia propagata per halitus
contagio insiginem sæpe stragem edunt. De sanis vero notabile exem-
plum habet *Verularius* in *Sylva Sylvarum* sive *Hist. Nat. Cent. X.*
p. 942. p. 955. dum ad quæstionem , cur Pædagogi plerumque senio-
res fiant? aliis responderet, ideo illos diu integra sanitate frui, quia
ex juvenibus spiritus magis sanos vitalesque trahant, allegans exem-
plum *Orbitii*. Econtra lippientes vetulas ob tetros halitus Matres
ab infantulis suis arcent.

III.

*Maximam saepe minimorum esse vim, cum primis si in
motu suo impediantur.*

Probant hoc varia experimenta per antliam pneumaticam , instru-
mentum Magdeburgicum, vitra tonantia & pulverem pyrium in-
stituta :

stituta: ubi vel solus aër vi sua elistica, vel & particulæ nitro-tulphureæ incensæ & à se mutuo dissilentes cum impetu quævis disiunt, omniaque susque deque vertunt, cumpromis si in solida, mortui suo resistentia, impingunt.

IV.

Effluvia in minimos etiam C. N. poros se insinuare eosque pervadere.

Hoc tam à priori, quam à posteriori constat. Certum enim est effluvia ætheri, tanquam vehiculo, innatare, qui, cum omnia pervadat, hospites suos facile secum rapit. Quanquam & effluvia plurima in se satis subtilia sunt, ut poros corporum subeant, eademque varie alterent. Apparet id in effluviis Mercurialibus, à quibus aurifices vasa argentea inaurantes sæpiissime tremore artuum & paralyssi corripiuntur. Qua ratione & ii qui salivatione Eli utentibus suppétias ferunt, in eandem salivationem sæpe incident. Quantam vero stragem edant effluvia ægrotorum & cadaverum per contagium, nemini ignotum est. Quemadmodum ergo, Hippocrate teste, corpus humanum foris & intus est perspirabile, ita & reliqua corpora naturalia. Vid. Boyle de Poros. Corp.

V.

Fluida & corpora elistica, in angustiam redacta, illic erumpere, ubi minor est resistentia.

Hoc vel pueruli sclopetis suis sambucinis, mit den Hölzern oder Blatz-Büchsen (quibus sclopetorum pneumaticorum effectus imitantur) ostendere valent, in quibus aër ab embolo compressus in ea parte, ubi fructus prunorum sylvestrium immaturorum, loco obturaculi, est situs, erumpere solet, cum illuc minorem, quam in tubi lateribus resistentiam inveniat. Idem in tormentis bellicis majoribus obtinet, quæ è contrario nimium onerata & stipata (wenn

sie gar zu stark geladen sind/ cum impetu difficiunt: quod in probatione tormentorum recenter fusorum , & duplice pulveris dosi (mit doppelter Ladung) constipatorum sèpissime evenire solet; unde & à prudentibus Belli-Ducibus probatio illorum extra moenia in campo instituitur, ne, si in vallo municipali id contingat, & hominibus & ædificiis damnum aliquod inferatur.

§. II.

Positis his, haud difficulter observare licet, ne unicum quidem ex phænomenis antedictis à lapide fulminari, vulgo ita dicto, derivari posse , nec fulminis materiam in crasso ejusmodi corpore, sed potius in substantia quadam subtilissima atque fluidissima querendam esse. Qui enim minutissimos vaginarum, dolii & cutis humanae poros subire poterit, cum non detur corporum penetratio, juxta datum primum ? qui tantas ædium substructiones incendere, omnes arborum ramos disjicere , subtilissimas illic varieque inflexas rimulas & lineolas efformare poterit? & quis unquam illum sub ejusmodi tempestatibus decidere vidit? id sane si contingeret, vix aliter fieri posset, quin aliquando incidere deprehenderetur in aliquem immissæ alicujus urbis, (qualis v. g. est Lutetia,) vicum , aut domus aream , teclumve , quod à nemine compertum scivit Rohault. *Tr. Phys. Part. III. p. 651.* Solus & unicus Avicenna talēm Cordubæ delapsum & à se vitum testatus olim , uti *Averrhoës Meteororum c. 2.* tradit. Ast fides ejus suspecta valde est, cum plurima oppido falsa in scriptis ejus occurrant, ita ut nonnulli eundem fabularum Parentem nominarint. Quin & ante illum sane nuspia lapidis hujus meminerunt Philosophi, alias acerrimi judicii, imo post illum nullus αὐτὸν τὴν cerauniam è nubibus explosam vidit. Neque huc trahendi loci sacrarum literarum, v. g. *Psalm. 18. §. 15.* וְעַל מִלְּפָנֶיךָ & *Psal. 77. §. 18.* וְכֹל קָרְבָּנָה קָרְבָּנָה, qui per sagittam, à Deo è nubibus demissam, non substantiam, sed pernicitatem & motum fulminis exprimunt , cum Lutherò hujusque sequacibus id docentibus Theologis Reformatis haud

haud intimi nominis, conf. *M. Gothofredi Wagneri disp. de lapide fulminari contra Ritterum Wittenbergæ habita.* Unde miror ingeniosissimum *Cartesium* etiam fabulam hanc admississe & *Meteor. cap. VII. p. 208.* modum ostendisse, quo in nubibus concrescere possit: cuius experimentum de terra, ☉ & ☪ incensis & in lapidem talem redigendis cum aperte fallax sit, hinc celeb. *Morhofius Polyhist.* *Zom. II. lib. 2. Part. 2. Cap. 24. p. m. 415.* alium, sed non minus improbabilem excogitavit modum, quando scribit: qui vulgo ostendi solent, è terra plerumque effodiuntur; unde suspicio est radios fulminares terram penetrantes, arenam, quam forte offendunt, in talem aliquam massam lapideam per vitrificationem quandam collquare. Sola sane soliditas hujus lapidis hunc generationis modum satis evertit: & cur radii fulminares arenam in littoribus extra terram non æque vitrificarent? Ut ergo veram de Cerauniis sententiam aperte & palam hic profiteamur, dicimus cuneos ejusmodi, quos fulminares appellant, utique saepius è terra effodi, tam lapideos vulgares, quam metallicos, quallem non tantum *Rumphius* olim ex India Orientali Curiosis Germanis obtulit, ut ex *Miscell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. 2. A. VII. pag. 40.* App. elucescit, sed & in agro Gisleno aliquot abhinc annis invenerunt; quod verò ex effluviis in nubibus generentur & cum fulmine explodantur, hoc est quod cum plurimis moderni seculi Philosophis nego. Plerosque enim, si non omnes, arte factos esse, è primo statim intuitu appetet; imprimis foramen per medium illorum trajectum & terebra intornatum id manifeste prodit, in quo cum introitus sit glaber, in altero latere contra, ubi terebra exit, semper aliiquid de lapide abruptum videtur: quod ipsum sanc in aliis lapillis, foramine præditis, quando vel gutta cavat lapidem, vel flumina rapidiora lapides adhuc molliusculos perforare solent, ut in lapillis Francobergæ in Adrana inveniendis & ab incolis hinc *Donneräxtger* dictis, occurrit, non æquè spectatur. Cogitavi ergo sape, annon antiquissimis temporibus seculibus hisce Pagani in sacrificiis suis & idolatriis usi sint, quod de

verustissimis Septentrionis incolis postmodum se audivisse testatus est *B. Dn. Spenerus, Consiliarius & Archiater Regis Prussiaci*: donec tandem certiorem illorum originem, ex Historicis antiquissimis, occasione urnarum sepulchralium, & in iis cuneorum fulminalium prope vicum Hassiæ Maden, in agro sterili, ante aliquot annos inventorum, eruit Excellentiss. *Dn. J. H. Schminckius, Hist. Civ. Prof. Marburgensis*, qui non sine causa illos pro armis habuit Paganorum & cum primis veterum Cattorum, cum (1.) illic fuerint inventi, ubi secundum alios Catti olim Saxones fuderunt, (2.) *Tacitus* testetur, Germanos antiquissimos, in crematione mortuorum, sua cuique arma adjecisse urnis; unde & in Holstia in effosso Gigantis cubili ollam cineribus plenam, cultrum & novem lapides fulminares repererunt, teste *Hannemann in Misc. S. R. I. Nat. Cur. Dec. 2. A. 4. Observ. 53. p. 121.* (3.) in Museo Regio Hafniensi inter alios ejusmodi lapides unus instar cunei formatus conspicatur, in cuius foramine manubrium ligneum, X. pollices longum, habetur. Addo (4.) quod Equites Hassi tali armorum genere saepè depingi soleant, sicut Nobilis quidam à *Berlepsch*, qui cum aliis Lutherum sub dicta hujus captivitate in Pathum suum deduxit, similiter æri sic insculptus sistitur à *Joh. Michael Kochio, in Descriptione Castelli Hartburgensis pag. 165.* Vid. plura in supra laudati *Dn. Schminckii Dissert. de Urnis sepulchralibus & armis lapideis veterum Cattorum, Marburgi anno 1714. habita*, ubi simul omnia figuris æncis illustrantur, quas pace *Dn. Auctoris* in præsenti Tabula ob oculos pono, ubi num. 1. 2. 3. spectantur urnæ, quarum insignis copia, una cum vitris lachrymalibus & amphora Rom. maximâ Moguntiæ eruta, asservantur in Museo Antiquarii Nobiliss. Francof. *Dn. C. H. de Klettenberg & Wildeck, Eq. Wetteravi.*

Num. 4. Cuneus fulm. perforatus: ad cuius imitacionem temporibus subsequentibus similia instrumenta ferrea (die Spithammer) dubio procul contexta fuerunt, quale quid manu tenet quidam Saxoniz Dux, in Chronico Saxonico (vulg. int Sächsischen Helden-Sag) inter alios depictus. *Num.*

Num. 5. 6. 7. L apides fulm. non perforati. Quod verò lapides fulminares è tumulis eru ti tragici semper eventus ominis sint , ut in *Miscell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Obs. 53. pag. 124.* habetur, superstitionem magis, quam necessitatem Physicam sapere videtur. Nec solum in Hassia , verùm & alibi, v. g. in Westphalia, similiter cuneos cum urnis repertos testatur *Jodocus Hermannus Nunningius JCtus & Canonicus Scholasticus Vredensis in Sepulchreto Westphalico-Mimigardico-Gentili*, qui eosdem pariter pro armis veterum Germanorum habet : cui pollicem premit *Job. Henricus Cobausen*, Med. Doct. Hildesiensis, in *Officlegio Historico-Physico*, cum priori edito pag. 44. in fidem allegans *Dn. D. Job. Dan. Majoris Neubevölkereris Chymbrien / in quo pag. 45. palam profitetur*, cuneos fulminares vulgo sic dictos arti humanæ suos debere natales & quondam instrumenti bellici vices explevisse. Quid quod rudera hujus sententiaz quoque reperiantur in sacris , scil. *Ezech. cap. XXXII. ¶ 27.* de fortibus cadentibus & in circumcisio nis, qui descendunt ad infernum (i.e. sepulchrum) cum (NB.) armis suis & posuerunt gladios suos sub capitibus suis: quod iisdem temporibus in usu fuisse attestatur *Tosanus in Scholiis ad h. l.* sicuti nostro tempore sarcophago imponuntur & in coemeteriis suspenduntur. Stante hac sententia, cedit illorum opinio, qui lapides fulminares cum glossopetris confundunt , existimantes has tandem illorum formam adipisci, teste *Boetio de Boot in Tr. de Lapid. pag. 341.* Toto enim cœlo differunt , cum dictæ sic glossopetræ nihil aliud quam dentes sint carcharizæ piscis petræfacti, ut non tantum figura, sed & analysis illarum Chymica, qua in carbonem potius, quam calcem abeunt, & Θ vol. produnt , ostendit. Multo minus hysterolithus rudimentum cerauniæ dici potest, qui nil nisi concha , è numero bivalvium & pectinum, petræfacta est ; unde in nonnullis non tantum striae harum concharum, tanquam in matrice, exactissime apparent , uti plures in Museo suo *Venerandus Dn. Parens* asservat, sed & ipsæ conchæ quandoque in substantia vel parum immutatae illuc inveniuntur ; quemadmodum igitur virtus,

virtus, quæ hysterolithis ab Horstio ob signaturam adscribitur, inde prorsus evanescit: ita similiter nunc actum est de virtutibus lapidis fulminaris, quas superstitione mulierculæ in curandis uberibus brutorum, iisdem fricandis, adstruunt, cum si quid opis inde redundet, frictioni magis quam speciali lapidis virtuti adscribendum sit. Hernias, variolas & morbillos eo curari posse, credat Judæus apella. Quod autem celebris Practicus Dn. D. Michael eundem pro specifice ictericò habuerit, illud sulphureis ejus particulis, quibus, ut omnes pyritæ atque silices, gaudent, non vero fulmini adscribendum, vid. Ettmüll. in Comment. ad Schröderi Pharmacopœiam Medico-Chymicam, quæ maximâ ex parte pro genuino Auctore B. D. Uffenbachium agnoscit, cuius bibliotheca cum MSS. in manus Dn. Schröderi incidit, ut Vir quidam Nobilissimus è familiâ Uffenbachianâ nuper retulit,

§. III.

Rectius igitur fulgur atque tonitru ab effluviis nitro-sulphureis, per motum in aëre accensis, oriri dicuntur, quæ si copiosius concurrunt, nubibus densioribus inclusa accensaque glomeres quosdam de se vibrant, sive ipsum fulmen constituunt, haud aliter ac pulvis pyrius, tormentis intrusus, aut cuniculis bellicis inclusus similem fragorem edit omniaque susque deque vertit. Ratio in inconvenientiam & disproportionem particularum nitrosarum & sulphurearum, in igne se mutuo disjicientium, redundant, quod antiquiores per nescio quam antipathiam explicabant, quam experimentis quibusdam explicat Sennertus, citatus & fusè recitatus à Sperlingo l. c. pag. 926.

§. IV.

His ita se habentibus, facilior jam erit φαινομένων supra enumeratorum ætiologia, à lapide fulminari fictitio frustra expectanda. Quod enim (I.) fulmen iis potissimum noctibus graffsetur, quas dies calidissimus præcesserat, à visciditate particularum sulphurearum deduc-

deducendum est, cuius intuitu, ob particulas hamatas & libi invicem implicitas, difficilius & nonnisi lummo ignis subterranei & externo Solis calore evanescunt & in altum propelluntur. Effluvia enim corporum suorum qualitatem ut plurimum retinere, dictum est in Postulato II. Jam notum est ex Chymicis olea & sulphura aliis implicita difficilius & nonnisi post aliarum particularum, sive spirituosalium, sive aquarum, aut salinarum volat. adscensum in distillationibus aut sublimationibus prodire, sicut prius olea destillata vegetabilium, posterius autem cinnabaris antimonii ostendunt. Quapropter & (2.) in locis calidioribus crebriora audiuntur fulmina, cum primis iis, in quibus aut montes ignivomi, aut fodinae sulphuris & bituminis occurront: dum illic calor locorum particularum sulphurearum exhalationem facilitat: hic vero major illarum copia suppeditatur; unde mirum non est cur (3.) fulmine imminente aut grassante atmosphæra odorem sulphureum spirer, adeo quidem, ut & canes venatici ferarum vestigiis tam accurate, ut serena tempestate, insistere nequeant, alii quoque tempestates imminentes præ sagre queant. Hæc autem omnia à particulis & effluviis oriri eo minus dubitare licet, quod sulphur illud sub resinæ forma corporibus adhæsse è novellis allegatis constet: & cum particulæ illæ à fulmine explosæ æthereique innatantes sint subtilissimæ, ita, ut secundum Postulatum IV. poros subtilissimos pervadere possint, hinc (4.) vaginali, cuius poros absque ullo impedimento permeant, illæ sâ gladium ignea sua causticitate colliquant, ad quod spiritus sulphuris acidus & æthereus sine dubio multum contribuit, cum in vulgo notum sit, magdaleonem sulphuris ferramento ignito admotum hoc in momento, butyri instar, liquare & in crocum martis aperitivum convertere; qua ratione quoque laminam chalybeam elasticam in horologiis colliquefacit; & quemadmodum sulphur *Helmontii* embryonatum (per quod similem spiritum sulphuris per terram diffusum exprimit) mineras in Θ corrodit, ita (5.) Δ illud embryonatum aëris poros loculorum pervolando argentum conflare & liquare valet,

valet. Quando autem dolium similiter penetrat & liquoribus illic contentis, haud aliter ac radii luminosi ob densitatem opticam illic refracti, implicantur, non possunt non (6.) crastin & texturam illorum motu suo reciproco turbare, particulas spirituosas & balsamicas expellere, sicque aut optima potulenta corrumpere & in vappam convertere, aut totam illorum molem & substantiam per poros expellendo vasa omnino exhaire. Cur (7.) fulmen altiora, turres, arbores excelsas &c. magis feriat, quam humilia? acutissimorum Philosophorum ingenia nunquam non summoperè exercuit. Maxima Antiquorum pars id fulminis obliquitati tribuit, cum non tam linea perpendiculari, quam transversali ad terram ruat: cum vero ratio motus illius obliqui non addatur, parum inde lucis affunditur huic difficultati; & quamvis ingeniosissimus *Cartesius Meteororum cap. 7. §. 10. p. 208.* in figura ænea ob oculos ponat, nubem facilis in latere dehiscere, vel & in parte inferiore, sicque fulminis obliquitatem quodammodo ostendat, statim tamen & hic redit quaestio, cur nubes facilis in latere quam alibi dehiscant? cui nec *Dn. le Grand*, neque *Rohault*, *du Hamel*, aliique satisfecerunt. Genuina igitur ratio videtur esse, quod nubes rorida à columna aëris desuper incumbentis & à parte inferiore ascendentis magis prematur, quam in lateribus, unde per hæc, ob minorem resistentiam, globes fulminei facilis erumpunt, vi postulati V. sicque per obliquum ruendo altiora facilis petere, ut è *Cartesii* figura apparet: quod itidem fit, si turris excelfissimi apex ad nubem proprius accedentem fere pertingens aëris circumstantis elaterem infringat: quæ causa est, cur vix annus præterlabatur, quo non turris Ecclesiæ Cathedralis Argentinensis, 574. pedibus Geometricis præalta, fulmine infestetur, referente *Franc. Reinzero S. I. in Meteorol. Philosophico-Polit. pag. 54.* Interim putandum non est hunc fulminis motum esse perpetuum, sed illud quandoque etiam versus cœlum erumpere posse rectissime judicat *Fronondus l. c. pag. 60. edit. Lond.* Quando autem deorsum versus globum terraicum fulminat, non tantum obvia

via quævis prosternit, & particulis fulminantibus late disjectis omnes arborum ramos decutere valet, sed ob summam sui subtilitatem (8.) quandoque rimas subtilissimas illic agit & lineas serpentiformes varieque sibi invicem implexas dicit, quæ à corpore crassiore profluere nequeunt; & cum eadem particulae nihil nisi ignis sint, hinc mirum non est idem V (9.) accendere posse, cum & ipse V summe reificatus, utut actu frigidus, pulverem pyrium particularum suarum motu accendere valeat. Interim simul notandum est, fieri quandoque posse, ut sub ejusmodi procellis & tempestatibus solus aër, nubibus incarceratus, tam vehementer explodatur (haud aliter ac in sclopetis pneumaticis fieri solet) sicque variae quidem turbæ in rebus sublunaribus, cum primis in corporibus humanis oboriantur, utut nullum omnino incendium sequatur: cuius rei notabilem observationem recenset *Dn. Doct. Mæren*, Archiater Moguntinus, in *Miscell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. 2. A. 4. Obs. 48. p. 116.* Unde procul dubio subnata est plebejorum distinctio inter fulmen calidum & frigidum, quod ultimum in vernacula einen kalten Schlag vocare solent.

§. V.

Phænomena in viventibus occurrentia partim à substantia fulminis ignea, partim à vehementissima particularum nitro-sulphurearum explosione ac motu deducenda sunt. A priori enim (10.) accessio capillorum, barbae, cutis & cuticulæ exoritur, haud secus atque ab igne actuali & cauteriis igneis idem fieri solet. A posteriori (11.) artuum resolutio paralytica, imo & apoplexia producitur, cum principiū movens, quod ~ animales vulgo vocant, omnino disjiciant & è corporis domicilio quasi relegent, fibras simul motrices discerpant & à tono suo dejiciant. Quid quod (12.) ipsa etiam ossa suo impetu confringant & comminuant, si poros partium continuo pervadendo illa, non secus ac gladium illæsa vagina, aggrediantur. Visceribus vero affictæ (13.) Dyspnœam in pulmonibus aut (14.) Choleram in ventriculo & intestinis causantur, quia in priori malo aut fibras bron-

chiorum, à *Willisio* depictas, discerpunt, aut aërem in pectore contentum & ad respirandum necessarium expellunt, aut externum nimis attenuant, ut non secus ac in montibus excelsissimis respiratio difficilior reddatur: in posteriori casu vero stomachum & intestina lacerfendo ad excretiones illas viscera hæc compellant; quamvis terror etiam multum hic contribuat, cum dentur homines qui exaudito tonitru & fulmine statim diarrhoea corripiuntur. Quodsi tandem ipsum etiam cerebrum corripiant, texturam ejus dissolvant eā jusque incolas & colonos emigrare jubeant, mirum non est, si (15.) infania, aut (16.) mors præsentanea subsequatur; id quod facilius (17.) in tenuerrimis embryonibus fieri potest, qui & aliis motibus violentis facile ad abortum & ipsam mortem disponuntur.

§. VI.

Fulmine tandem desaviente, tonitru, fragor & reliqua illico cessant, si nubes (18.) in pluviam solvantur: non quod nubes superior in subjectam delapsa hanc penitus dejiciat, quam Cartesianorum hypothesin nonnisi cum grano salis admittit summè Rever. Abbas *Dn. Schmidius in Disp. de Tonitru anno 1680. Jenæ habitæ* §. 9. sed quia nubibus in ∇ solutis particulæ antea inclusæ liberum exitum hanciscuntur, tantaque vi neque concurrere neque explodi possunt. Quapropter & impossibile non est (19.) campanarum pulsationes aut bombardarum explosiones, ob nubium discontinuationem, aliquid ad fulminis discussionem contribuere posse, cum maxima sæpe minimorum sit vis, juxta Postulatum III. aërque commotus corpora etiam solida diffingere possit, ut notissimum *Petteri*, Oenopolæ Amstelod. experimentum ad oculum demonstravit, quod fusæ & curiose prosequitur B. Dn. *Morhofius Tr. de Scypho vitreo per certum vocis humanae sonum fracto*. Quod vero campanis, ut & herbis & candelis, celebrioribus festis lustrali aqua expiatis, plus virium à benedictione ac Ecclesiæ precibus, quam rationibus Physicis competere scribat *Reinzerus*, S. I. lib. c. pag. 55, religioni ejus & nimis pietati tri-

ti tribuas, oportet. Quod tandem (20.) fulmen quandoque aqua restinguui non possit, fieri potest, si particulæ ejus nimis resinosaæ atque pingues sint, haud secus ac in communibus incendiis domiciliorum observatur, quæ si in cameras lardo exsiccatæ plenas (in die Specie fulminis) incidat, aqua similiter ægerrime aut plane non extinguntur, idque ob particularum oleosarum & aquearum disproportionem.

SECTIO III.

DE

CURANDIS FULMINE
TACTIS.

§. I.

Hic primum omnium signis quibusdam opus est, quibus certi reddamus, an quis fulmine tactus sit, nec ne? cùm in causis Medico-Legalibus & Medicina Forensi hæc quæstio haud minimi sit momenti. Quærere enim potest Magistratus, an homo, cuius cadaver fusum humi in camporum patente planicie jacet, vel solum domi exanime inventum est, fulmine conciderit, an alia injuria interierit? ubi quidem duo palmaria criteria proponit celebris Chirurgus *Paræus in Tr. de Renunciationibus p. m. 655*, scil. odorem gravem & sulphureum, quem omne corpus fulmine tactum spirare solet: & abhinc vestigia ignis cuiusdam, seu ustione, seu nigrore conspicua, cum nullum (strictè sic dictum) sine igne sit. Adde (3.) *Cardan. lib. de Fulg. c. 19.* labia vulnerum à fulmine frigidiora semper esse reliqua carne, ob dissipationem spirituum, id quod tamen in demortuis observari non poterit. An & alia à *Plinio* addita phænomena, quod scil. bruta fulmine tacta in adversum latus cadant, solus autem homo, cum interierit, non nisi in partem tactam cadat, aut nisi vi con-

vertatur in partem s. regionem unde fulmen venit: quod item homo, si vigilans fulmine tangatur, oculis videatur clausis, contra apertis, si dormiens feriatur, jam in medio, & ulteriori observationi relinquo. De immunitate fulminatorum à putredine in præcedentibus actum est.

§. II.

Quamprimum jam de fulminis effectu certissimus, imperatâ prius diætâ vulneratis dicata (præter quam hic vestes statim exuendæ & tam ob respirationem liberam quam propter malignitatem abjiciendæ, aut bezoardicis suffumigandæ sunt) & formatâ prognosi, è variis & propriis cuique parti fontibus & effectibus haurienda, ad duo cum primis attendendum erit, scil. (1.) ad partium fluidarum interiorem, & (2.) ad solidarum magis exteriorem læsionem. Utrobique de ardore interno ac lærarum partium externo mire conqueruntur, obser-vante *D. Schuchmanno in Miscell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. II. A. VIII. Obs. 213. p. 533.* qui sicut à summa turbatione humorum circulantium, & nūm confusione, & fibrillarum discriptione empyreumatica producitur: ita illic particulæ fulmineæ è corpore sunt eliminandæ: id quod blandis diaphoreticis, & scil. diaph. bez. min. ① Əato & similibus fieri solet, mixtis semper cardiacis & confortantibus, & ob malignitatem bezoardicis, v. g.

℞. *Pulv. bezoard. Engl. 3j.*

Ə *diaph. 3β.*

① *depur. Əj.*

Camphor. Əβ.

Ther. cæl. gr. ij.

M. Div. in 3. p. ə. D. in ∇ meliss. borrag. bugloss. citr. è typh. cerv. &c. *Guil. Fabrit. Hildanus lib. de comb. circa finem solum laudat lap. bezoar, ad gr. vi. vel VIII. in prædict. ∇ aliqua sumendum, sed ob mangonium illi soli non fidendum, aut dosis augenda erit. Méliora sunt quæ è compositionibus antiquioribus laudat, sc. spec. diamarg. frigid. latif.*

lætif. Galen. conf. alkerm. è quibus c. conserva bugloss. meliss. cort. citr. &c. facile elect. confortantia fieri poterunt. Quando vero talia fixiora quoque externè in forma epithematis adhibet, laterem fere lavat, cum virtus illorum neque ad cor, neque humores circulantes penetreret. Rectius volatilia substituuntur, linteis asperis & calidis fri- cando membra, brachiaque & crura ligando.

§. III.

An & V. S. hic locum habeat? non immeritò querit laudatus modo *Hildanus c. l.* quod cum illo negamus, nisi indicatio quædam particularis & insolita eandem urgeat. Multo minus purgantibus hic locus concedendus, quæ majores in corpore turbas ciere, aut oleum igni infundere poterunt. Quanquam eo laborandum quoque sit, ut alvus consueta respondeat, quæ renitente symptomata à fulmine exorta exacerbari solent. Segnior igitur lenioribus enematis & suppositoriis incitari & officii sui admoneri poterit. Præstant simplicia à *Græfio Tr. de Clyt.* laudata. Reliquis autem symptomatibus fulmini sæpe conjunctis ex propriis, si urgeant, fontibus satisfieri poterit. Sic in paralyssi artuum aut conjuncta apoplexia antiparalytica, nervina, antapoplectica & similia, post dia phoretico-bezoardica, in usum sunt vocanda, qualia sunt ∇ apoplectica off. ~ cephal. lil. convall. Θ*, essent. castor. balsamum nervinum Conerdingii, spiritus formicarum in- & externe &c. In cholera conjuncta stomachica dentur, cum primis ∇ menth. polychresta, lap. crystalli præp. zingib. in Ind. cond. cum brodio &c. In Dispnoea nil æque ac sulphurea succurrere *Dn. Sommerus* expertus docet in *Miscell. S. R. J. Acad. Nat. Cur. Dec. 2. A. II. Obs. CLXV. pag. 389.* Talia sunt flor. & lac ♀, à Θß ad Θj cum fl. benz. & similibus danda

v. g.

℞. *Flor.* ♀ 3j.*benzoin.* 3j.

Θ* 3ʒ.

Ther. cæl. gr. iiij.

M. Div. in 3, p. x. D. in

▽ *hyssop.* c. *vino.*

Quodsi tandem ad amentiam & insaniam redacti fuerint, orandum est ut sit mens sana in corpore sano, propinando simul cephalica, antimaniaca, spec. lætif. Galeni, ~ fang. hum. infus. torn. fang. asinin. ~ Θ* in ▽ anagallid. fl. phœnic. &c.

§. IV.

Læsiones partium externarum à fulmine eadem aut simili ratione tractandæ sunt, uti vulnera sclopetis aut instrumentis ignitis inflicta, de quibus, præter *Botallum*, parvulum, sed elegantissimum tractatum conscripsit *Tassinus*, Gallus, sub rubrica: *Tractatus de Vulneribus sclopetariis*, cum Botalli scriptis Germanicè quoque editum. Ad empyreuma sive expellendum, sive extinguendum, ut & inflammationem & gangrænam arcendam adhibetur statim spiritus vini camphoratus c. ~ Θ* permixtus, cum linteis duplicatis, vel & unguentum camphoratum album illinatur. Quodsi vibices hinc inde conspicuæ gangrænæ metum jam incutiant, linimento primū ex vitello ovi, cum 3o lini (à *Gockelio* in *Consil.* & *Observ.* laudatum) adhibetur, & abhinc triclicata lintermina aqua nigra Chirurgorum imbuta imponantur. Partes fere proflus sphacelatæ, aut corncam quasi substantiam induentes ense resecandæ sunt, ne pars sincera trahatur. Exscindantur igitur novacula ad instar unguia equinæ, ad imit. *Schuchmanni* l.c. aut ope scalpellic. *Hildano*, digestivis postmodum & mundificativis vulnus relictum more solito tractando. Eadem ratione proceditur quoque si pustulæ, vulnera,

nera, aut maculae adsint: quibus potius applicanda sunt cepæ c. Θ, fol. ruta & theriaca conquaſſata: cucurbitulae item & hirudines, incisis prius vesicis. Emollientia, ad putredinem disponentia & escharam relaxantia, hic locum non habent: quin excidatur eschara scalpello aut forſice, ulcri abhinc seq. mundificans Hildani applicando:

℞. Mell. ros. ȝij.

Pulv. rad. vincetox.

angel. aa. ȝȝ.

Fol. rut. c. pulv. & conquaſſ. p. ij.

ther. ȝij.

V. ȝȝ. M.

Subjunctis abhinc sarcoticis, myrrhatis, fol. scord. &c. quæ admixto parum O. usti & ceruss. cicatriculam quoque inducunt. Si facies nimium rubescat & oculi doleant, procedatur ut in facie pulvere ſclopetario aduſta, cujus binos casus hic Gisſa contigisse memini. Oculis tum instillabatur lac humanum recens mulctum, cum pauca v. ros. &, si dolor urgeat, crocus addatur.

Vel ℥. v. ros. ȝj.

album. ore diu concoct.

aa. ȝj.

Sem. cyd. ȝȝ.

Macer. per iv. vel v. hor. col. & instill. Imponendo cataplasm. ex pom. aff. sem. fænugr. contus. Reliqua vide apud

G. Fabr. Hildan. in Epist. de vuln. ſclop. curat. c. 4. pag. 956. Si ossa fracta aut comminuta fuerint, fractura singulis diebus ſemel deliganda, cataplasmata calida renovanda, epithem. vino, in quo herb. & rad. alexiph. decocta, membra fovendo, & omnia more ſolito tractando: quæ omnia & singula eleganti caſu & obſervatione iſtillantur in M iſcell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. I. A. II. pag. 67.

SECTIO IV.

DE

MODIS SE A FULMINE TUENDI ET PRÆSERVANDI.

S. I.

Quandoquidem omnia, quæ de rebus quibusdam naturalibus à fulmine immunibus aliquosque immunes reddentibus dicuntur, fictitia & omnino falsa sint, ut jam ante demonstravimus, hinc restat ut adhuc paucissimis remedia quædam atque media, rationi & experientia conformia, addamus, quibus nos à fulmine tutos quodammodo præstare ejusque furorem effugere queamus. Inter hæc sit

PROPHYLACTICUM

I.

Fulminante celo terra cavernas subire expedit.

Si enim verum est quod *Seneca*, *Plinius* & alii expertum dicunt, fulmen non altius, quam quinque pedes in terram descendere, non sene absque ratione fugam ad loca subterranea profundiora suadere solent; quo nomine idem *Plinius* neminem fulmine tangi scribit, qui prior viderit fulmen, aut tonitru audiverit: hic enim facilius fibi fuga consulere poterit, ut eundem explicat *Fromondus* l.c. pag. 87. Novit hoc suo tempore Serenissimus & Celsissimus Princeps, Dominus **PHILIPPUS**, Hassiæ Landgravius (reliq.) gloriofissimæ recordationis, qui tonitru exaudito citatis equis statim ad arcem, ab Illustriss. suo nomine Philipseck dictam, petendo cellam illam artificiosissimè & tanto spatio exstructam ut junctis quadrigis eandem in & egredi potue-

potuerit, se recepit: de qna Petrus Lotichius, Medicus, Hist. & Poet. Celebris, ita canit:

Inter tot mundi spectacula plurima cryptas

Jactet Roma suos, Parthenopeque suas.

Principis Hessorum ridet mibi crypta Philippi

Unde Philippolis nobile nomen habet

Isthic multa vides carie consumpta sepulchra,

Sed, qua dicit iter, pulverulenta via est.

Ait non hic pulvis metuendus, nulla sepulchra.

Aut in conspectum tristis imago venit.

Vasa sed eximio vegrandia nocte stagnant,

Sub terris montes dixeris esse novos.

Hi tibi non mures, sed vina Falerna ministrant,

Regificas possunt que decorare dapes.

Adde quod & junctis licet hanc intrare quadrigis,

Perque cavam plenis ire redire rotis.

I nunc & cryptas memora Romane, Philippi,

Principis haec plures vicerit una cava.

Vid. plura apud Winkelmann. in Chron. Hassiac. pag. 191. seqq.

§. II.

PROPHYLACTICUM.

II.

*Tonitru boante fenestra sunt claudenda, aperte-
que fugienda.*

Meteora enim motum tractumque sequuntur aëris, tanquam vehi-
culi sui, qui facilius irruit per fenestras apertas, cum primis si aëris in
hypocaustis per halitus ac motus inhabitantium quodammodo al-
teratus & in virtute sua elastica debilitatus fuerit, ut aëri externo eo

minus resistere valeat. Quanta enim vi atque impetu aër hic in vasa inania & per antlam pneumaticam exhausta irruat, suo s̄epe periculo experuntur illi, qui hemisphaeriis Magdeburgicis majoribus exhaustis justo propius & incautius, sub reseratione ejus, adstant, adeo, ut vel in periculum suffocationis incident, vel omnino enecentur, ut canibus per recipientem majorem prius exhaustum, occlusum & ab hinc subito apertum accidit: de quibus Dn. Schober, Mechanicus Lipsiensis, seqq. olim ad Dn. Parentem meum prescripsit: Anjetzo mache ich eine grosse Antliam mit Kessel auf E. Hoch Edlen Hochweisen Raths Bibliothec, da ich auff 2. oder 3. mahl einen Recipienten von 4. Maass Ranne ohue weitere Mühs evacuiren kan; dazu koint ein Recipient von Glas/ in diametro anderthalb Ehlen; wann derselbe evaciirt ist (wozu ich nur eine viertel Stund bedarff) so kan/ wenn ich 6. Schritt von einem lebendigen Thier bin / es sehe ein Hund oder Ratze / dasselbige in einem Augenblick tödten. Die Röhre welche aus dem Recipienten gehet / ist einer Ehlen lang / welche auff des Thiers Maul ungefähr gerichtet wird / auff 6. Schritt. Zuverstehen aber/man muss solches in einer Stube thun: in freyer Luft lässt sich solches nicht so practiciren. Conf. Mus. Muscorum Tom. III.

. Cap. L pag. 7.

f. III.

PROPHYLACTICUM

III.


Saviente tronitrali tempestate ignibus sub caminis incensis minus assitas, sed inde oxyus aufugias.

Quam pericolosum enim hoc sit, suo ante aliquot annos infortunio experta est Virgo in aula Principali Octtingensi, quæ foco sub camino assidens à fulmine gravissime feriebatur, cum reliquis Aulicis tantum capilli & flocci in vestibus cremati fuerint. Ratio è thesi proxime præce-

præcedente facillime dari poterit. Cum enim aër in caminis ab igne subjecto rarefiat, & quo magis expanditur eo plus virtutis elasticæ amittat, hinc fieri non potest, quin aër externus, & quæcunque in eo fluctuant, longe facilius eo se ingerant quam in alia loca aëre adhuc integro gaudentia. Hinc & alia meteora ignea, in primis dracones volantes, ut plurimum in caminos se demittunt; id quod vulgo calumniandi ansam dedit, dracones illos nil aliud esse, quam Dæmones, mancipiis suis divitias & nescio quod aureum vellus adferentes: quæ ut plurimum hominum otiosorum & socordium, sedulorum & laboriosorum opes male ferentium, invidia & fulmini proximum insontem explodenti haud absimilis injuria est. Scilicet

*Fulmen ut invalidis parcens glebaeque repenti
Se in validos validè vibrat & inficiat:
Sic vulgo parcit mendaxque calumnia Magnis
Infidias necdit turpiter illa suæ.*





A Jove qui procul est, procul est à fulmine
tutus

A Non tamen à Summo sit procul ille
DEO.

Non DEUS hoc dicto fugitur, fugiturque Deaster
Ethnicus aut cœli splendida stella chorū.

Numen si referat Summum, Jovis omnia plena,
A Jove principium, cum Jove finis erit.

Hoc Duce cœpisti studium, quod finis AMICE,
Dimidium facti qui bene cœpit habet.

Sit Tibi principium felix, felix sit finis & omnis,
Quam mox suscipes, Praxis in Arte Tua.

*Nobilissimo Dn. Candidato, Affini suo &
Amico estimatissimo, paucis his de fu-
turis honoribus Academicis, cum voto
omnigenæ prosperitatis, gratulatur*

M. JUSTUS HELFRICUS HAPPEL,
*Verbi Divini Minister Frid-
bergensis.*

* * *

Fulgurat ex pelvi, qui nil nisi fulmina miscer,

Dum certat dubiis disqueputando suis.

Non blaterare juvat, credas, sed queque probare,

Sic mox invictus Victor in Arte clues.

Victor in Arte clues curando ergo disqueputando

Vincendo morbos Victor in Arte clues.

Fratri Frater

boni omnis ergo apponebat

CONRAD MICHAEL VALENTINI,

Medic. Cand.

Euge bonum factum ! FRATER, dum jungis
amicè

Naturam Medicis, quas terris ipse, Scholis.

Pro Duce Supremum quærasque petasque Jeho-
vam,

Sic Medica tandem prosperitate clues.

CHRISTIANUS VALENTINUS

VALENTINI,

LL. Cultor.

Dum

* * *

Dum Xantippe suo perfundit rore Maritum,
Pravidi, hic regerit, post tonitru pluviam.
Fallimur aut Furia hac telum demisit E^g inde,
Obruat ut miserum fulminis arte virum.
Auferat infernus Xantippen, ni resipiscat.
TE juvet Alticonans dulcis Amice! Vale!

Sic vota sua gratulabundi
conferebant

bini Philiatri

S. & P.

F I N I S.

